



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies nonus et decimus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1925**

De Sancto Iohanne Episcopo Magnopolitano Et Martyre

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72556)

A

D

## DE SANCTO IOHANNE

## EPISCOPO MAGNOPOLITANO ET MARTYRE

AN. 1066

H. D.

Memoria  
S. Iohan-  
nis in  
fastis re-  
centioribus.

1. Septimo idus iunias anni MLXVI, Gotescalcus princeps Obodritorum cum Yppone seu Eppone presbytero in civitate Leontia (Lenzen), idibus iuliis Ansuerus monachus cum sociis Raceburgi, quarto idus novembres Iohannes episcopus Magnopolitanus in metropoli Slavorum Rethra in odium fidei trucidati sunt. Et Ansuero quidem tanquam verum martyrem iamdudum cultum fuisse multis comprobatur monumentis (1). Non ita de Gotescalco et Iohanne. Commentario enim Henschenii postumo de B. Gotescalco et sociis appendicem addendam censuit Papebrochius, in qua operose demonstrare conatur hosce beatos ex opere nostro excludendos non esse quamvis de eorum cultu sola rationabilis praesumptio sit (2). De Iohanne, cuius anniversarius dies hodie recurrit, haec iteranda forent. Hunc enim primus fastis ascripsisse videtur Arnoldus Wion, qui nullum antiquum martyrologium testem adduxit (3). Solum Trithemium appellat Menardus (4), eiusque verba exscribit, ex Chronico Hirsauigiensi ad annum MLXIV: His temporibus venit quidam monachus ex Hibernia ordinis nostri, qui dicebatur Iohannes, in territorium Meckelnburg in Saxonia, praedicans incolis verbum Dei, quem propter zelum fidei et infatigabilem evangelizandi constantiam Romanus pontifex gentibus illis praefecit episcopum, qui tandem pro fide et iustitia martyrio coronatus, ad Dominum migravit (5). Ferrarius quidem se tabulis ecclesiae Suerinensis usum esse more suo affirmat, quando tabulas nullas vidit et omnia e chronicis librisque notissimis hausit (6). Nullos alios fontes habuit Bucelinus (7), et Wionem exscripsit Dempsterus (8). Qua ratione ductus fuerit Menardus ut praeter diem 10 novembris etiam 23 februarii S. Iohanni assignaret, ipse non aperuit, neque nobis compertum est (9). Mense februario translationis vel inventionis memoriam forte servari opinio est Colgani quae nullo nititur argumento (10).

Teste  
Adamo  
Bremensi

2. Adamum Bremensem, qui primarius fons est eorum quae de Iohanne tradita sunt, audiamus. Postquam rettulit populos Slavorum qui ad Hammaburgensem respiciunt dyocesim ope Go-

tescalci ad fidem adductos esse, in Magnopoli vero, quae est civitas inclita Obodritorum tres fuisse congregationes Deo servientium (11), antistites novarum ecclesiarum ab archiepiscopo Adalberto constitutos enumerat, inter quos Mecklenburgensem Iohannem: Iohannem Scotum constituit in Magnopolim (12). Antequam ad barbaras Slavorum gentes missus est, archiepiscopo comes adhaerebat, teste Adamo vel clerico Bremensi jere coaero qui libri III appendicem conscripsit. Episcopos quippe universos gloriosus archiepiscopus decenti honore habens, ad praedicandum barbaris verbum Dei prece et praemio commonebat. Ita saepissime vidimus cum (13) quatuor aut quinque stipatum episcopis; prout ipsum audivimus dicentem, absque multitudine esse non posse. Cum vero eos a se dimiserat, solito molestior esse propter solitudinem videbatur. Numquam tamen carere maluit (14) vel tribus, quorum frequentissimi erant Tangwardus Brandenburgensis, vir sapiens et comes episcopi etiam ante episcopatum; alter erat Iohannes, quidam Scotorum episcopus, vir simplex et timens Deum, qui postea in Sclavianiam missus, ibidem cum principe Gotescalco interfectus est; tertius Bovo nomen habuit, incertum unde natus aut ubi ordinatus, qui se tamen peregrinationis amore Iherosolimam ter accessisse iactabat, indeque Babilonium deportatum a Sarracenis, tandemque solum multas per orbem transisse provincias. Hos tres, cum non essent eius suffraganei, comperimus eum, quod sedes proprias non haberent, maiore fovisse clementia (15). Tandem post Gotescalci et Ansuveri necem, et ipse Iohannes a barbaris occisus est. Pergit Adamus: Iohannes episcopus senex cum ceteris christianis in Magnopoli civitate captus servabatur ad triumphum. Ille igitur pro confessione Christi fustibus caesus, deinde per singulas civitates Slavorum ductus ad ludibrium, cum a Christi nomine flecti non posset, truncatis manibus ac pedibus in platea corpus eius proiectum est, caput vero eius desectum, quod pagani conto praefigentes in titulum victoriae, deo suo Redigast (16) immolarunt. Haec in metropoli Slavorum Rethra (17) gesta sunt IV idus no-

episcopus  
Mecklen-  
burgensis,

E

Slavorum  
apostolus

et martyr  
fuit.

F

(1) Act. SS., Iul. t. IV, p. 97-108. His addi potest quod testantur Annales Stadenses: « Hulus sancti Ansuveri brachium integrum servatur apud Stadium in ecclesia beatae virginis. » M.G., Scr., t. XVI, p. 315. — (2) Act. SS., Iun. t. II, p. 40-42. — (3) Lignum Vitae, t. II (Venetiis, 1595), p. 365-66. — (4) Martyrologium sanctorum ordinis divi Benedicti (Parisiis, 1629), pp. 17, 97, 494. — (5) IOHANNIS TRITHEMI... Secundae partis Chronica insignia duo (Francofurti, 1601), p. 58. — (6) Catalogus generalis sanctorum (Venetiis, 1625), p. 437-38. — (7) Menologium Benedictinum (Veldkirchii, 1655), p. 769. — (8) Menologium Scotorum (Bononiae, 1622), ad diem; ap. FORBES, Kalendars of Scottish Saints, p. 218. — (9) Act. SS., Febr. t. III, p. 360. — (10) Acta SS. Hiberniae, t. I (Lovanii, 1645), p. 407. — (11) Gesta Hammaburgensis ecclesiae pontificum, III, 19,

in Scriptores rerum Germanicarum, p. 110. — (12) Gesta, III, 20, t. c., p. 110. Cf. III, 32, p. 117. — (13) Ita in editis; eum expectaveris. — (14) Verbo malle noster saepius utitur pro: libenter velle, desiderare. Cf. I. III, 8, 23, 60. WAITZ. — (15) Gesta, appendix I. III, t. c., p. 152. — (16) De Redigast, Slavorum numine, BEYER, Die Landwehren und die Grenzheiligthümer des Landes der Redarier, in Jahrbücher des Vereins für Mecklenburgische Geschichte, t. XXXVII (1872), p. 138-42. — (17) De loco ubi fuit olim metropolis illa Slavorum, plurimum inter eruditos litigatum est. BRÜCKNER, Rethra lag auf der Fischerinsel in der Tollense, in Jahrbücher des Vereins für Mecklenburgische Geschichte, t. LIV (1889), p. 153-67; Id., Zur Rethrafrage, ibid., t. LV, p. 261-76; Id., Nachtrag zur Rethrafrage, ibid., t. LVI, p. 245-46; Id., Berichtigung zur Rethra-

-vembriis



A vembris (1) *et quidem omnium sententia, anno 1066* (2). Quae aliis locis in libris Adami leguntur et ad Iohannem nostrum videntur referenda, aptius expenduntur ubi de memoriis Islandorum sermo erit.

Varia testimonia. 3. Interim reliqua proferamus testimonia quae utpote in Adamo refundenda, nulla declaratione indigent. Quae in *Chronica Slavorum*, lib. I, c. XXII, de Iohanne habet Helmoldus, ex Adamo ad verbum exscribit (3). Eiusdem praeterea mentionem inicit c. LXIX: Huius (Ezoniis episcopi Aldenburgensis) temporibus surrexit in Hammburgensi ecclesia magnus Adelbertus, qui de peregrinis episcopis, quos in mensa sua habebat, Iohannem statuit episcopum in Mikilburg (4). *Annalista Saxo ad annum 1065* (5) et *Albertus Stadensis* (6) nihil afferunt quod ab Adamo mutuati non sint, et ita porro de reliquis qui ingenio non indulerunt. Nimirum, ut solet, coniecturis tribuisse Trithemium, qui Iohannem Ordinis S. Benedicti alumnum fuisse et a Romano pontifice episcopum constitutum esse asserit, ex dictis satis patet.

Islandis fidem nuntiavit; 4. Iohannem nostrum, antequam in Slavonia episcopus constitutus est, Islandiae populo fidem christianam praedicasse antiqui huius insulae testantur scriptores. Arius Thorgilsi filius presbyter (1067-1148) (7), libri sui *Islandingabók* c. VIII inseruit catalogum episcoporum peregrinorum qui in Islandia commorati sunt; Teitum autem antestatur, filium Isleivi illius (1006-1080) qui primus fuit Islandorum episcopus indigena.

quod Arius presbyter, These ero nöfn byscopa theirra es veredh hafa á Islande ütlander, at sögo Teitz. Fridhreer com í heidhne her. En thesser vóro sidhan: Bjarnhardhr enn bóevise Vár; Colrfá ár; Hrodholfr XIX ár; Ióhann enn Írske fá ár; Bjarnhardhr XIX ár; Heinreer II ár (8). Latine: Haec sunt nomina episcoporum alienigenarum qui in Islandia fuerunt, secundum relationem Teiti: Fridericus tempore paganorum huc venit; hi autem postea fuerunt: Bernhardus in litteris eruditus, annos quinq; Col, annos paucos; Radulphus, annos undeviginti; Iohannes Hibernus, annos paucos; Bernhardus, annos undeviginti; Henricus, annos duos. Eadem fere leguntur in *Mantissa ad librum Landnámabók*, ubi tamen pro Iohanne Scoto, Iohannes Savo, Ioan enn Saxneski scriptum est, eique quattuor anni tribuuntur (9). De numero annorum disceptare nolimus; mirum sane est anonymo comperta esse quae Arius ignoravit. Non inepte Saxonem eum appellavit qui Meckleburgensis ecclesiae episcopus factus sit et Saxonia projectus Christum Slavicis gentibus nuntiare coeperit. Quominus enim idem

sit homo qui post paucos annos in Islandia transactos in Slaviam missus sit ibique crudeli martyrio coronatus, nemo iure dubitabit qui *Gesta episcoporum Islandensium* legerit in libro dicto *Hungvaka*. Thess es getedh, at byscopar kómo út hingat til Islanz um daga Isleifs byscops, en Fridhrekr einn kom ádhr út, sá es sögor sé fra goervar. En thesser hafa svá út komet, at menn hœlzt skyn á vitadh: Ioan byscop enn Írske; ok hafa that sumer menn fyr satt at hann fœre sidhan til Vindlannz, ok snœre thar mörgom mönnum til Godhs, ok vas sidhan tekenn ok bardhr ok hœggnar af bædhe hendr ok foetr ok höfodhet sidharzt, ok fór medh theim pinengom til Godhs (10). Latine: Episcopi quidam feruntur huc in Islandiam advenisse in diebus Isleivi episcopi. Antea autem unus Fridericus advenit, de quo aliquid litteris sit mandatum. Hi autem sunt advenae qui imprimis noti sunt: Iohannes episcopus Hibernus; et sunt qui pro certo habeant eum postea in Vindlandiam esse profectum multosque homines ibi ad Deum convertisse; postea captum fuisse et flagellatum et amputatum utraque manu et pede et tandem capite, et migrasse hoc cruciatu ad Deum.

5. Ad Adamum paulisper redeamus oportet, si tamen Waitzio damus pleraque *Gestis episcoporum* addita scholia ab ipso scriptore concepta esse (11), illud imprimis LXXXI, quod de Iohanne haec habet: Iohannes iste peregrinationis amore Scotiam egressus, venit in Saxoniam, et clementer a nostro susceptus archiepiscopo, non multo post in Sclaviam ab eo directus est ad principem Godescalcum. Apud quem illis diebus commoratus, multa paganorum milia baptizasse narratur (12). Qui haec scripsit iter Islandicum procul dubio ignoravit. Subobscura tamen et incerta in Adamicis libris vestigia reliquissae videntur Iohannis ad ultimam Thulen peregrinatio. De Adalberto haec scribit qui appendicem Adami libro III annexuit: Praeterea Thurolfum quemdam posuit ad Orchadas. Illuc etiam misit Iohannem in Scotia ordinatum (13). De altero Iohanne Scoto qui fuerit in Adalberti comitatu nihil prorsus traditum est, proindeque hunc nostrum hoc quoque loco designari credendum est. Cave tamen existimes Adamum ipsum, qui Descriptionem insularum Aquilonis edidit, probeque scivit Islandiam non unam esse ex Orchadis, hac in re errare non potuisse, proindeque alienam manum lapsu notari. Ille enim, quarto *Gestorum* libro, Blasconam, qui locus est in Islandia, seu Blaskoeg, in Orchadis collocare videtur: Ad easdem insulas Orchadas, quamvis prius ab Anglorum et Scothorum episcopis regerentur, noster

AUCTORE  
H. D.

alii  
Islandorum  
scriptores

E

et ipse  
Adamus  
asserunt.

F

frage, *ibid.*, t. LVII, p. 350-54; SCHLDT, *Entgegnung*, *ibid.*, t. LIV, p. 168-79; t. LV, p. 277; GROTEFEND, *Bemerkungen*, *ibid.*, t. LIV, p. 175-180; t. LV, p. 277-78; *Id. Mein letztes Wort in der Rethfrage*, *ibid.*, t. LVI, p. 247-48. Cf. etiam HIRSCH, *Jahrbücher des deutschen Reichs unter Heinrich II*, t. I, p. 259-60. — (1) *Gesta*, III, 50, t. c., p. 130-31. — (2) *Act. SS.*, Jul. t. IV, p. 97; GIESEBRECHT, *Wendische Geschichten*, t. II (Berlin, 1843), p. 106; G. MEYER VON KRONAU, *Jahrbücher des deutschen Reichs unter Heinrich IV und Heinrich V*, t. I, p. 517-519. — (3) *Helmoldi Chronica Slavorum*, ed. B. SCHMEIDLER, p. 45-46. — (4) *Ibid.*, p. 130. — (5) *M.G.*,

Scr., t. VI, p. 694. — (6) *Annales Stadenses*, in *M.G.*, Scr., t. XVI, p. 315. — (7) De Ario, cf. E. MOGK, ap. H. PAUL, *Grundriss der Germanischen Philologie*, t. II (Strassburg, 1901-1909), p. 745-47; F. WAGNER, *Le livre des Islandais du prêtre Ari le Savant* (Bruxelles, 1898), p. 9-16. — (8) Ex editione G. VIGFUSSON et F. Y. POWELL, *Origines Islandicae*, t. I (Oxford, 1905), p. 298. — (9) VIGFUSSON, t. c., p. 273-74. — (10) VIGFUSSON, t. c., p. 431. Excerptum edidit F. JÓNSSON, in *M.G.*, Scr., t. XXIX, p. 413. — (11) *Script. rerum Germ.*, t. c., p. xi-xii. — (12) *Script. rerum Germ.*, t. c., p. 131. — (13) *Ibid.*, p. 151.

primas



AUCTORE  
H. D.

primas iussu papae ordinavit Turolfum in civitatem Blasconam, qui omnium curas ageret (1). Haec certe obiter perstrinxit et parum perspecta habuit. Ita quoque ille qui scholion XCIV concepit, de nostro, ut videtur, Iohanne: Iohannes ad insulas Baltici maris destinatus est (2). Iter enim maritimum, e Saxonia susceptum, Suebicum mare menti eius obiecit (3).

Quando-  
nam in  
Islandiam  
projectus  
sit.

6. Quod Iohannes in Islandiam navigaverit nulla videtur ratio ambiendi; quod ab Adalberto eo missus fuerit non ita perspicuis certisque testimoniis asseritur, immo verum non est, si Iohannes unus est ex illis de quibus Gesta episcoporum seu Hungrvaka haec narrant: Um daga Ísleifs byscops kómo út byscopar af öðhrom löndom, ok budho mart linara an Ísleifr byscop: urdho their thvi vin-sæler vidh vánda menn, thar til es Adalbertus erki-byscop sende bréf til Íslanz, ok bannadhe mönnom alla thionosto af them at thiggja, ok kvadh thá suma vesa bann-setta en alla í ó-leyfe sino faret hafa (4). Latine: In diebus Ísleif episcopi advenerunt episcopi ex aliis regionibus qui mitiora imperia imposuerunt quam Ísleif episcopus. Ideo pravorum hominum amici facti sunt, donec Adalbertus archiepiscopus litteras in Islandiam misit prohibuitque homines ne quod ministerium ab iis acciperent, et dixit quosdam eorum esse excommunicatos et omnes absque sua licentia ivisse. Quicquid id est, si Iohannes vel iubente Adalberto, vel eo inscio, iam sedente lamen in Islandiam venit, non ante annum 1043, quo Adalbertus episco-

patum assumpsit, projectus est. Quod autem diebus Ísleivi id contigisse dicatur, de huius vitae tempore, non de episcopatu (1056-1080) nonnulli intellexerunt (5). Sunt qui sedem Mecklemburgensem anno circiter 1052 conditam existiment (6), alii aliquot post annis (7), certe non post 1062 cum in diplomate quod hoc ipso anno emissum est, diocesis Ratzeburgensis quae simul cum Mecklemburgensi constituta est, mentio facta sit (8). Neutra sententia rationibus Conradi Maurer opponitur, qui Iohannem annis circiter 1046-1050 Islandorum genti verbum divinum praedicasse opinatur (9).

7. Unius elementi neglectu factum est ut crederetur Iohannes noster non in Vindlandiam seu Vandaliam projectus, ibique martyrium passus, quemadmodum in Gestis episcoporum Islandiae legimus, sed in Vinlandiam (10), ita ut sancti episcopi palaestra e Slavia in Americae oram orientalem transferretur, ipseque Americae protomartyr haberetur (11). Vinlandia enim pars est Americae Septentrionalis quae saeculo X exeunte ab Islandis reperta esse, hodieque nominibus Massachusetts et Rhode Island designari putatur (12). At vero lectio libri Hungrvaka, cuius excerptum dedimus, minime dubia est, et cum Adami assertis optime quadrat (13). Iohannes quippe noster, ex Islandia redux, ab archiepiscopo Adalberto ad Slavoniae gentes deputatus, et Mecklemburgi episcopus constitutus, glorioso martyrio in Vindlandia ad Deum migravit.

Americae  
protomartyr  
non  
fuit.

(1) Gesta, lib. IV, 34, t. c., p. 183. Lege Waitzii annotationem ad hunc locum. — (2) Gesta, append. I, III, t. c., p. 151. — (3) Cf. K. MAURER, Die Bekehrung des Norwegischen Stammes zum Christentum, t. II (München, 1856), p. 585, annot. 74. De Iohannis missione Islandica lege quoque A. D. JØRGENSEN, Den Nordiske Kirkes Grundlæggelse og første Udvikling (Copenhagen, 1874-1876), pp. 672, 701; Tillæg, p. 101; K. MAURER, Vorlesungen über altnordische Rechtsgeschichte, t. II (Leipzig, 1908), p. 39-41. — (4) VIGFUSSON, t. c., p. 429. — (5) MAURER, Die Bekehrung des Norwegischen Stammes, t. II, p. 582, annot. 61. — (6) LAPPENBERG, in Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde, t. IX, p. 394. — (7) G. DEHIO, Geschichte des Erzbistums Hamburg-Bremen, t. I (Berlin, 1877), p. 68-69. — (8) LAPPENBERG, Hamburgisches Urkundenbuch, n. 90. Cf.

MAURER, t. c., p. 585, annot. 76; J. WIGGERS, Kirchengeschichte Mecklemburgs (Parchim und Ludwigslust, 1840), p. 24. — (9) Vorlesungen, t. II, p. 41. — (10) Cf. FINNI IOHANNI Historia ecclesiastica Islandiae, t. I (Hauniae, 1772), p. 87-88, annot. c. — (11) Ita G. GRAVIER, Découverte de l'Amérique par les Normands (Rouen, 1874) p. 166; O. MOOSMÜLLER, Europäer in Amerika vor Columbus (Regensburg, 1879), p. 49; L. JELÉ, L'évangélisation de l'Amérique avant Christophe Colomb, in Comptes rendus du Congrès scientifique des Catholiques, Paris, 1891, t. V, p. 172. — (12) REEVES, The Finding of Vinland the Good, Oxford, 1890. — (13) De re optime disseruit I. FISCHER, Kann Bischof Iohannes aus Irland († 1066) mit Recht als erster Martyrer Amerikas bezeichnet werden? in Zeitschrift für katholische Theologie, t. XXIV (1900), p. 756-58.

## DE B. AMBROSIO MASSANO

AN. 1240

CONFESSORE ORDINIS MINORUM

URBEVETERI IN UMBRIA

COMMENTARIUS PRAEVIUS

B. Ambrosii  
Massani

1. In ecclesia Sancti Francisci Urbeveteri sub altari maiore condita servantur ossa B. Ambrosii de Massa ex Ordine Fratrum Minorum. De sancto viro si historias interrogaveris, haec tantum

accipies. Ambrosius ortu et genere ignotus, habitu Fratrum Minorum indutus est in conventu Massae (1). Quindecim circiter annos in Ordine transigit, austeritate vitae et caritate in domesticos

(1) Utique Massa Maritima (Massa di Maremma, prov. et circond. di Grosseto), cuius loci

conventus iam recensetur in Provinciale Ordinis Fratrum Minorum, ed. C. EUBEL (Quaracchi, et